Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

9. Martij. 7. Idus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

Visual Library

Floruit anno 1240.

B. BERENGARIA, Regis Legionenſis filia: quæ in monaſterio Holgenſi, ſub Ciſtercij legibus, per dignas regio ſanguine virtutes, ad regnum felicius conſcendiſti. *Inter prima ad perfectionis ſtudium ſubſidia numeratur, prudens aſtimatio, & exinde ſequi ſolitus rerum terrenarum contemptus. Sed quis illas tecum non flocci habeat, cùm earum ſolus, quaſi per ſomnium aſpectus, nobis in hoc exilio concedatur?*

Rerum terrenarum contẽptus.

S. BERNARDUS, ſer. 24. in Cant.

Non habem⁹ hic permanẽtem civitatẽ.

Eſt ergo hoc habitaculum corporis noſtri, non civis manſio, aut domus indigenæ; ſed aut tabernaculum militantis, aut ſtabulum viatoris.

9. Martij. 7. Idus.

Obijt anno 1130.

B. HENRICE, magni Othonis, Burgundionum Ducis, ac liberaliſſimi Fundatoris Archicœnobij Ciſtercienſis, magna quoque ac digna proles: qui difficilia illa recèns inſtituti Ordinis principia minimè horrens, ſed mundi delicijs præferens, te humiliter magiſterio Divorum Alberici & Stephani ſubmiſiſti. Sic Paupertatis titulo & ju-

ti

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

re duplicem hereditatem adiiſti: paternam (olim in Ciſtercium ab eo tranſſcriptam) in terris: & alteram in cœlis; juxta Codicis Divini Textum clariſſimum, affirmantem: Pauperum eſſe regnum cœlorum. *Utique Angelica Patrum Ciſtercienſium ſanctimonia generoſiſſimum animum tuum movit; ut glorioſum titulum de toto mundo triumphantis, in aſpera illa ſolitudine ſectareris: facilius nempe, ac certius obtinendum ducatu humilis obedientiæ, quàm omni faſtu in te heredem reſpicientis Ducatûs Burgundiæ. Impetra mihi à cordis mei primo mobili ac motore Deo mentem generoſam, qua nequiſſimum vitæ hactenus meæ ducem, propriam voluntatem, non ſolùm contemnam; ſed è finibus regni animæ meæ prorſus expellam.* Odio hoſtili perſequenda propria volũtas

B. MARIA, ſanctimonialis cœnobij Dunemarchenſis: quę nobilibus parentibus orta, cùm eſſes pulchritudine corporis nulli fœminarum ea tempeſtate ſecunda; ne nuberes impari, litéſq; importunas procorum uno ictu præcideres: nullius ſponſi thalamum te dignum cenſuiſti; niſi in quo illum ſolum amplecterer is, cujus pulchritudinem ſol & luna mirantur. Nec defuit caſtiſſimo hymenæo ſua pompa ſolennis; dum Virginum Regina ſuſ- *Vixit circa annum* 1191. *Chriſtũ eligit in ſponsũ.*

 cipiens

Mariâ illam deſponſante. cipiens Pronubæ perſonam, te Unigenito ſuo, arrhâ coronæ, ex lilijs & roſis contextâ, deſponſavit. Unde quærens per noctes, quem unicè diligebat anima tua, tenebris uſa es ad fugam, quâ clam parentibus ad ſacrum Parthenonem te proripuiſti. Ibi Dilectum pervigili virtutum ſtudio inveſtigare non ceſsâſti; donec eum inveneris in vitæ immortalis aurora. *In gravioris*

Judicis quærẽda benevolẽtia. *momenti cauſis benevolum nanciſci judicem, magna eſt felicitas. Quid ergo moror, quin totis viribus contendam, in negotio æternæ ſalutis, Judicem mihi conciliare amantiſſimum ſponſum, ſolo nunc amoris, quo nihil facilius, pretio, emendum?*

S. BERNARDUS, *ſer. 56. in Can.*

Compunctio duplex. *Duo ſunt genera Compunctionis: unũ in mœrore pro noſtris exceſſibus; alterum in exultatione pro divinis muneribus: quoties ſanè eam, quæ ſinè anguſtia cordis minimè ſit, peccatorum ſcilicet meorum facio confeſſionem, videor mihi cancellum, id eſt, anguſtiorem aperire feneſtram. Nec dubium, quin libenter per iſtam reſpiciat is, qui ſtat poſt parietem pius explorator: quia cor contritum Deus non deſpiciet.*

10. *Mart.*